

## QUESTIUNCULA V.

## Quis Arphaxad?

Quatuor ei, è quibus agnosci possit, notas apposuit Latinus textus. Prima est vers. 1: *Rex Medorum*. Altera: *Subjugaverat multas gentes imperio suo*. Tertia: *Ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis*. Quarta versu 4: *Gloriatur quasi potens in potentia exercitûs sui, et in gloria quadrigarum suarum*. Ex iis primam tantum et tertiam expressim posuit Græcus; duæ tamen aliæ innuntur, cum in ipsâ ejus urbis ædificatione dicitur, portas ad potentissimas copias, pedestresque suas acies instruendas extruxisse. Hunc verò, qui post Babyloniam migrationem regnasse censent, alio nullo nomine afficiunt. Et sanè meritò. Quis enim, præter Persas, Medorum tum rex? Qui verò, uti supra faciendum probavi, alius historiam istam revocant, nomen ejus apud scriptores aliud esse arbitrantur; Bellarminus Diolem ait fuisse, quia, ut Herodotus lib. 1, et Eusebius Chronicis tradunt, Ecbatana ædificavit, id est, è positis jam notis, prima et tertia insignis est. Secundam verò indicat etiam Herodotus, cum etsi solos Medos subegisse ait, eorum tamen gentes plures facit, Busas, Parataenos, Struchates, Arizantos, Budios, Magos. De quartâ verò notâ, quin et eâ in eo hæserit, quis ambigat, qui adverterit, regnum eum summoperè ambiisse, dolo, calliditate, omnique simulatione ad se pertraxisse, cumque pertraxisset, vetuisse, ne quis in regis conspectum veniret, eive quidquam, nisi per internuntios, proponeret, ne cuiquam coram illo aut ridere, aut spueri fas esset? Congruit etiam tempus cum in Olympiadem 18 et Manassæ annos primos, hujus principium conferat Eusebius. Hujus filium *Phraortem* malunt Benedictus et Ziglerus. Gessit enim contra Ninum et Assyrios bellum, in eoque ipse magnâ cum exercitûs parte periit, ut ab Herodoto lib. 1, recensetur. At hic c. 1, vers. 6, victus ab Assyrio fuit Arphaxad, et, ut postea dicemus, occisus. Hujus porrò filium Cyaxarem potiùs fuisse opinatur Genebrardus. Omnibus verò istis antiquiorum Arbatem Carion.

Sed in primâ illâ sententiâ primò quidem mendum occurrit, cum Diocles vocatur, qui Dejoces, apud Herodotum *Διόκλης* dicitur. Deinde cum secundum Eusebium, regnare cœperit anno Manassæ quinto, et annos regnârit 54, vel, ut habet Herodotus, 53, Manas-

sem, qui annos 55 rex fuit, vivendo superârit. Sed, ut habetur cap. 1, v. 6, fuit Arphaxad à Nabuchodonosore deletus, et, ut postea explicabitur, regno vitâque spoliatus, anno Nabuchodonosoris duodecimo, quem multò ultimis Manassæ annis priorem fuisse, dictum antea est. In Phraorte, quid præter tempus dissonet, nihil equidem video. Cum enim ei Eusebius annos det 24, Herodotus 22, multò inciperet citiùs ejus filius Cyaxares regnare, quam ut cum Nabuchodonosore magno Ninum posset evertere, quod tamen Tobia c. ult., q. 3 et 4, constitutum. Atque hinc etiam patet cur Cyaxares Arphaxad esse nequeat, cum etiam apud Herodotum ille Nini domitor, à Niniano iste domitus fuerit. Quo etiam modo explodit Arbaces videtur. Nam, uti bene longâ oratione persequitur lib. 2 Diodorus, Sardanapalum Assyrium is tandem vicit, ad sui ipsius et regis suæ incendium cœgit, Ninumque occupavit.

Est autem intelligendum, fateri libro 2 Diodorum de Medorum principatu, quando, quomodò et per quos cœperit, Assyriumque labefecerit, magnam inter gentiles, qui summo loco habentur, esse dissensionem, ita ut quidquid illi dicant, nos divinatorum nostrorum auctoritati adhærescere oporteat, ex iis illos corrigere, et quod in iis adhuc veritatis elucet, id, quemadmodum et alia profana omnia in sacrarum istarum litterarum obsequium cogere. Herodotus igitur, qui ab Assyriis Medos avulserint, avulsosque regio dominatu, usque ad Cyrum continuerint, enumerat quatuor, Dejoem, Phraortem, Cyaxarem, Astyagem. In Ctesia verò apud Diodorum sunt novem: Arbaces, qui Sardanapalum sustulit; Manduces, Sosarmus, Artias, Arbianes, Arsæus vel Artæus, Artynes, Artibanas et Aspadas. Et hunc ait Ctesias à Græcis vocari Astyagem. Diodorus verò, quem nominârat Herodotus Dejoem, cum ipse Cyaxarem nominat, eumque Olympiadis decimæ septimæ anno 2 imperasse tradit. Quid igitur mirum, si absque ullâ dubitatione, quis Medorum istorum Arphaxad noster fuerit, pronuntiari non possit? Potest ex iis quos ab *Ar* tam multos incipit Ctesias, aliquis deligi, et is ipse fortassis ex iis quos Herodotus nominat, aliquis fuerit, cum diversis iidem, uti visum est, nominibus efferrantur.

Mihi porrò, ut concludam, duo videntur: Primò, si Dejocæ tempus ante Manassæ inchoaretur, itemque Phraortæ, vel certè pau-

ciores ipsi Dejocæ anni tribuerentur, et inter hos ultimique Cyaxarem plures cum Ctesia collocarentur, eorum alterutrum esse Arphaxadum. Dein de uterlibet sit, cum etiam vocatum Arbacem. Ab illo enim celebratissimo Sardanapali triumphatore, primoque Ninives expugnatore, libenter alii ex Medis omnes qui Assyriorum vires vel imminuerunt vel imminuere certè conati sunt, Arbacæ, seu Arpacadi, vel pinguiore sono Arphaxadi, vocabantur, quemadmodum à Sylvio illo primo Latinorum reges omnes Sylvii, ait in 6 Æneid. Servius, sicque apud alios Ptolemæi, Arsacæ, Pharaones, Agagi, Cæsares; et hodiè à Turcis Servia despota omnes, Lazari; omnes Constantinopoles imperatores Constantini appellantur, prout notat Pandectæ c. 46 et 51 Leunclavius. Ad hoc verò Arphaxadi nomen accedere illud Scytharum regis videtur Apoxais apud Herodotum libro 4. Nam istud *p* sæpè ab aliis per *ph* exprimitur, uti sanctus olim notavit Hieronymus, et videmus hodiè in Syris et Arabibus, quemadmodum c. 2 Tobia, q. 1, insinuavi. Et quid remotiora ista loquor? Nonne inter Germanicam hanc nostram et Saxoniam vel Belgicam linguam hoc etiam discrimen est? Sic et Indiæ fluvius, qui à Strabone, lib. 17, et à Dionysio Hypanis, à Ptolemæo, Plinio et Curtio Hypasis, idem à Diodoro Hyphasis, appellatur. De litterarum verò *b* et *p*, permutatione, cum usitatissima sit, si monuero, ineptiam. Est etiam Judæum et Chaldæum nomen *Arphaxad*, uti patet ex Genes. 10 et 11, Josepho lib. 1 Antiq. cap. 7.

## QUESTIUNCULA VI.

Cur in Scripturâ Ninive vocatur, quæ ab aliis Ninus dicitur, et cur toties civitas magna?

Utrumque istud Tobia cap. 1, fol. 14, tactum breviter; sed nunc explicandum. Apud Herodotum ergo libro 2, Diodorum libro 2, Plinium lib. 6, c. 13, Ptolemæum lib. 6, c. 1, *Ninus* vocatur, quæ Genes. 10, v. 11, 4 Reg. 19, Isaia 39, Ezechielis 47, in Tobia denique, Jonâ et Nahum Hebraicè dicitur *Nineh*, vel, ut D. Hieronymus, in Versione suâ et Quæstionibus in Genesin, *Ninive*, Græcè, *Νινευή*. Nominis verò causa et D. Hieronymo, loco citato, et aliis, ab ejus conditore Nino, quem Geneleos caput 10 Assur nominat, petenda videtur. Sed quomodò? Fuerunt, ut ait Diodorus, Nino filii Hyapates, Hyadaspes et Ninyas. Hic postremus idem cum Hebræâ Ninueh nomen

gerere Scaligero in veterum Fragmentis videtur. Sed cum *navah* Hebræis habitare significet, *naveh* verò aut *neveh* habitaculum Isaia 27, v. 10, c. 53, v. 20, c. 54, v. 13; Jerem. 31, v. 23, cap. 35, v. 12, cap. 50, v. 44; Osea 9, v. 12; 2 Reg. 7, v. 8; Proverb. 3, v. 31, c. 21, v. 20, c. 24, v. 15, alibi, quid Ninive aliud, quàm *ἡ Νίνου ὄκησις ἢ κατάλυμα*, *Nini*, inquam, *habitatio et domicilium*? Magna verò hic appellatur v. 5, itemque in Tobia et Jonâ cap. 1 et 3, ubi Hebraicè non simpliciter magna, sed *magna Deo*, id est, in conspectu Dei, seu verè magna. Quod enim tale in conspectu Dei dicitur, verè tale est. Falluntur quandoque hominum oculi et judicia, Dei nunquam. Eam igitur, etiam quoad principia, ita describit loco indicato Diodorus: « In Syriam copias deducens Ninus, opportunum locum ad urbis magnæ constructionem deiecit. Cum enim, quàm ante ipsum alius nullus, illustriora gessisset, talem studebat magnitudine urbem condere, ut non modò earum, quæ tunc in toto terrarum orbe essent, foret maxima; sed etiam ut eorum qui postea futuri erant, alius nullus, etiamsi adniteretur, superare posset. Ipse verò copias undique rerumque propriarum apparatus congregans, super Euphratem fluvium urbem condidit bene muratam, figuram ipsius constituens alterâ parte longiorem. Habet verò urbs longiorum laterum alterum 150 stadiorum, breviorum verò 90. Ideoque cum totus urbis ambitus ex 480 stadiis constaret, spe illâ suâ frustratus non est. Tantam enim urbem nemo postea ædificavit, neque quoad ambitus magnitudinem, neque quoad ipsam muri magnificentiam. Habebat in altitudine murus pedes centum, in latitudine ternos unâ currus poterant equi trahere. Omnes verò turres numero erant mille et quingentæ; altitudinem verò eæ habebant pedum ducentorum. » Nonne meritò igitur magna et in Dei oculis magna dicta est, cum circuitu suo milliarum contineret Italica 60, Hispanicæ leucas 20, nostratia Germanica milliarum 15? Quæ Colonia, qui Parisii cum eâ possunt comparari? Babylonis olim et Romæ, hodiè regni Cathai metropolis *Cambalu* valde magnitudo celebratur. Sed Paulus Venetus ejus ambitui 52 Italica milliarum tantum dat, Nicolaus verò de Comitibus duodeviginti. Unâ in urbe, de quâ quidem compererim, Cœli urbs est, seu Tartarorum ipsorum linguâ, *Quinzai*, quæ, Paulo eodem Veneto referente

(et is in eâ sub annum Domini 1260 habitavit) miliaria Italica centum orbe suo complectitur. Atque hinc patet, quomodo toto triduo varias ejus urbis plateas et compita concionabundus perambulare Jonas propheta non poterit. At funditus excisa jam est; pagi tamen et castella multa intra veteris ambitus spatium sunt, ait suo in Itinerario Benjamin, et cap. 11 de Tartaris Aithonus. Quomodo verò erret Diodorus, Euphratem pro Tigri ponendo, monstrant citati omnes Herodotus, Plinius, Ptolemæus, Benjamin.

#### QUESTIUNCULA VII

Quæ Ecbatana, et eam nîm Arphaxad ædificavit?

Ecbatana Medie urbem esse, idque nomen interdum interpreti nostro, quemadmodum et hoc loco, non declinari dixi Tobie c. 5 et 5. Sunt verò apud Leunclavium Pandectæ cap. 187, qui Turcarum expeditionibus nobilem illam urbem esse putant, qui Tauris vel Tebrisium vel apud Cedrenum Tauræzium vocatur. Sed eos allucinari docet ipse jam nominatus Cedrenus, qui in Persarmenia eam collocat; Aithonus, cujus hæc verba: « In Armeniâ Major civitas Taurisii famosior est, et plus aliis opulenta. » Jovius Historiarum lib. 14: « Inter Sophiani, ait, imperii provincias, Armenia Major primam obtinet claritatem, Taurisio regiâ urbe insignis, qui Terva Ptolemæo antiquitus fuit; vel, ut Hebræis quibusdam linguarum et regionum peritis videtur, Susa prisca quondam celebritatis. » Idèque verò non absimile Tervam illam esse, quæ transpositis literis Terve jam dicitur. Hanc enim lib. 5, cap. 15, in Armeniâ etiam Majoræ collocat Ptolemæus. Sed ut alia nunc taceam, vel inde apparet, non esse Susa, de quibus idem Ptolemæus lib. 6, cap. 5, ego in Esther c. 4.

Ea verò tradidit Plinius lib. 9, cap. 14, à Seleuco ædificata. Diodorus lib. 2, jam ante Semiramidem extitisse, eam ait, post ædificatam Babylonem huc illam venisse, magnifica ibi palatia excitasse, et eum aquarum inopiâ laboraret urbs, in eam, Oronte monte, qui duodecim stadiis abest, perfosso, aquæ abundantiam derivasse. Herodotus, lib. 4, eorum conditorem Dejoem pronuntiat. Duos priores arguit lib. 11, c. 6, vanitatis, Melchior Canus. Et sanè, ut Tobie jam auctoritatem omittam, vel ex solo Alexandri responso apud Cartium, lib. 4, ostensu perfacile est, ante Seleucum

Ecbatana fuisse. His enim, qui à Dario litteras attulerant, respondit, se « Persepolin caput regni ejus, Bactra deinde, Ecbatana, ultimam que Orientis oram imperio suo destinasse. » Mihi tamen isti omnes et inter se et cum Scripturâ nostrâ in gratiam redituri facile videntur, si advertamus, fieri non rarò, ut urbem dicatur quispiam ædificasse, quam non omninò primus inchoavit, sed vel restauravit, vel multis magnisque quibusdam ædificiis exornavit aut amplificavit, quemadmodum de Babilone constat ex Genesios cap. 10, et Danielis 4, et de Susis ex Plinio et Æliano in Esther cap. 1, patebit. Et sanè ita noster iste textus intelligendus: Arphaxad ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatana. Idè enim non ait textus Græcus *ἠὲρδοξήσαντες Ἐκβάταναν, ædificavit Ecbatana; sed ἠὲρδοξήσαντες ἐν Ἐκβάτανον, æδificavit in Ecbatana.*

#### QUESTIUNCULA VIII.

Cur ea urbs potentissima vocetur, et quomodo ædificata?

Cùm inter Orientis decora, eam urbem, ut vidimus, reposerit Alexander, potentissimam fuisse non difficulter conjicimus. Sed et tota ædificatio hic proposita idem significat, cujus modus in Græco, ab eo quem Latinius noster affert, aliquantulum discrepat, non verborum copiam tantum, sed et numeris. Ita enim habet: « In Ecbatanorum urbe muros in circuitu exstruxit ex cæsis seu politis lapidibus, qui ternos cubitos lati, senos longi erant. Murus verò altitudinem habebat septuaginta cubitorum, quinqueaginta latitudinem. Turres præterea portis imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat, et latitudo in sexaginta fundata patebat. Portas autem ejus excitavit septuaginta cubitos altas, quadraginta latas, ad potentium ejus exercitum egressionem, et ad pedestrum copiarum suarum instructionem. » Murorum latitudo in Latino est cubitorum 50, non 50. Et sanè deformis et inelegans structura videretur, si quidpiam altum sit 7 pedes et crassum latumve 5, non autem si 5. Quæ verò ratio est 7 ad 5, vel 5, eadem cubitorum 70 ad 50, vel 50. Latitudo verò portarum eum 40 tantum cubitorum dicitur, esse etiam murorum latitudine, totis 40 cubitis exilior, eum ob adjunctarum turrium proportionem, par sit crassiorum fuisse; quamquàm id dici fortè queat, portarum hic latitudinem notari, quâ patent,

cùm latitudinis hujus hinc subdi usus videatur, ut instructæ pedum equitumque acies commodè possent educi. At quid de urbis hujus potentia et pulchritudine recenseat loco monstrato Herodotus, accipe: « Mœnia, inquit, construit Dejoes ampla simul et valida. Ea nunc Ecbatana vocantur, in quibus mœnia mœnibus in orbem inclusa sunt. Est verò ita murus extructus, ut unius ambitus circulus sit alterius solis pinnis altior, et ad hoc adjuvat ipsa loci natura, eum collis sit. Hoc verò majore etiam arte industriæque elaboratum, quòd sint septem ambitus inter se contigui. In eorum autem postremo insunt regie domus et thesauri. Qui per ista est murus, maximus est, magnitudine adeo quans plus minùs Athenarum muri ambitum. Primi autem circuli pennis sunt albæ, secundi nigre, tertii purpureæ, quarti cæruleæ, quinti sandaracine. Sicque circum omnium pennis seu propugnacula coloribus eleganter variegata et foris instar picturata sunt. Duo verò minimi pennis habent, alter quidem argentatas, auratas alter. Ex his igitur Ecbatanorum et potentiam et elegantiam magnificentiamque perspicis, sed et illud, fuisse ipsam in plantis quidem, seu, ut ait Diodorus lib. 2, *ἠὲρδον ἐν πεδίοις καυέσων*, urbem in campo sitam, uti Tobie c. 5, dicebatur, elivum tamen quemdam assurgentem habuisse.

#### QUESTIUNCULA IX.

Quæ inter hosce duos reges belli causa et modus?

Unam textus noster vers. 4, causam indicat, Arphaxadi videlicet superbiam. *Gloriabatur enim quasi potens in potentia exercitibus suis, et in gloria quadrigarum suarum.* Dùm suas videlicet opes, copias, currus, omnesque belli nervos sibi paratos videret, cœpit efferrî, Assyrii jugum aspernari, ad libertatem et imperium aspirare. Quia enim egerat Ninivite, non ita multò ante, penitentiam, et Sennacheribi arrogantia compressa jam fuerat, nondum tanta pristinorum erat scelerum congeries, ut hoc ipso tempore, Ninum oversam vellet Deus; quin, pro immensâ suâ bonitate adhuc ad annos penè centum distulit. Jam tamen tanta illa monarchiæ illius Assyriæ moles valde nutabat, in diesque magis ac magis lababatur, quoad fuit Ninivitarum completa malitia, prout in Tobie ultimo dictum est. Modus verò gesti hujus belli non alius in Latino nostro textu indicatur, quam prælium inter istos

commissum fuisse in campo magno, qui appellatur Ragau. Sed in Græco additur, quinam sese populi Nabuchodonosori conjunxerint, et qui, licet invitati, conjungere noluerint. Hoc tamen posterius noster, vers. 8, ita recenset, ut non ad belli hujus societatem invitarentur, sed potius, ex victorie occasione, ad servitutum. Qui verò se illi conjunxerint, fuerint, ait textus Græcus, omnes qui montana inhabitant, et qui Euphratem, Tigrin et Hydaspem, et campi Arioch rex Elymaeorum, multaque gentes filiorum Cheleul in aciem convenerunt. Quamvis suspicari ferè liceret istos Arphaxado potius sese consociasse, quia de Nabuchodonosore postea, vers. 7, in eodem Græco subditur, qui degerit. Monticola verò illi fuisse videntur Armenii, prout eos describit lib. 2 et 5 Xenophon Cyropæd., licet ipsis etiam Medie insignes montes tradat lib. 6, c. 2, Ptolemæus, Zagron, Orontem, Jasonium, Coronum. De aliis in Græco nominatis, quæ sequitur agat questiuncula.

#### QUESTIUNCULA X.

Belli hujus exitus quis et ubi fuit?

Describitur is cap. 6, victum scilicet prælio Arphaxadam et captum fuisse. Nam istud, *obtinuit enim*, Arphaxadam scilicet Nabuchodonosorus, idem valet atque cepit eum; Græcus enim vers. 15, ait, *ἔλαβε τὸν Ἀρφαξάδ*, et quæ ad victoriam eandem pertinent alia nonnulla explicat sic: *In bello suo roboratus est Nabuchodonosor; et omnem Arphaxadi potentiam, et omnem equitatum ejus, et omnes currus ejus evertit; et ipsius urbium dominus factus est, et Ecbatana usque perenit, et potius est ejus turribus, plateisque vastavit; et ipsius ornatum ad ejus opprobrium redegit. Et cepit Arphaxadam in montibus Ragau, et jaculis eum suis confixit, eumque prorurs perdidit et exterminavit usque ad diem illum.* At de loco ubi victoria hæc obtenta, clarè textus Græcus, *ἐν τῷ πεδίοι τῷ μεγάλῳ. Τὸ αὐτὸ λέγει ἐν τοῖς ἑσπερίοις Ραγαῦ, ἐν campis illo magno; hic est in finibus Ragau.* Et postea, *ἔλαβε τὸν Ἀρφαξάδ ἐν τοῖς ἑσπερίοις Ραγαῦ, cepit Arphaxadam in montibus Ragau,* et significatur tam planities quam montes Rhagarum, de quibus in Tobia capitulis 1 et 5, licet Ragau sit etiam proprium nomen, Genes. 11. Dices: iste campus in Latino versu dicitur circa Euphratem et Tigrin. Respondeo dupliciter, primò hæc fortè aut similia in Latino desse. Habebat Nabuchodonosor gentes circa Euphratem et Tigrin. Nam, ut superiore

quæstionem vidimus, hoc ipsum Græcè asseritur. Deinde verò fieri potuit ut qui inter Euphratem et Tigrim campi sunt, de quibus lib. 8 Ammianus, lib. 6 Tacitus, eodem Rhagarum cognomine, cum iis qui ultra Tigrim sunt, afficiantur. Sed quem Latinus Jadason, eum Hydaspen Græcus vocat, qui Indiarum fluvius est apud Plinium lib. 6, cap. 20, Strabonem lib. 15, Curtium lib. 4. In manuscripto Rabano, quem pro sua humanitate, utendum mihi dederat reverendus et nob. dom. Joan. Christophorus Neustetter, modò Hydas, modò Hydaspen, scriptum erat, ut depravatio facillè appareat. Illud verò, in campo Erioch regis Elicorum, in quibusdam manuscriptis, quæ in Oudeheimensi reverendissimi Spirensis Bibliothecæ videbam, erat modò regis Elicorum, modò Elicorum. Noster Pererius lib. 5 in Genesim vult esse regem Erioch, qui et Genesim 10, rex Elasar. Videretur ex Græco legi posse rex Elymorum aut Elymaeorum, ut sit quedam ejus quod dixerat, in campo magno Ragau, explicatio, cum Ragau ad Elymadem spectare possit apud Ptolem. lib. 6, cap. 5, Strabonem lib. 15 et 16. Invenio tamen apud Egesippum lib. 1, cap. 28, proprium nomen Elichi, pro quo apud Josephum lib. 12, cap. 20, et lib. 1, cap. 10, est Elic, mendose in Latino Felix, cum eidem Josepho libro 20, cap. 6, et sancto Lucae Actor. 24, Felix scribi solet. Porro Erioch in exemplaribus aliis, Arioch nominatur, et Græcorum tamen duplex hic lectio est. In Complutensibus enim Bibliis hæc: Κατωκόντες, πῶλον Ἀριόχ τοῦ βασιλέως Ἐλυμαίων. In Romanis correctis ista πῶλον Ἐριόχ τοῦ βασιλέως Ἐλυμαίων, idèque superiore quæstionculâ vertebam non, qui incolunt campum Arioch regis Elymaeorum, sed campi Arioch rex Elymaeorum, ut, ἡ βασιλεία τοῦ πῶλου dicatur pro ἡ βασιλείων. Notum siquidem, substantiva interdum cum verborum suorum casibus connecti, ut apud Aristotelem: Νῆμας ἀπὸ τοῦ ἰσάτοιο διαναρπείας, apud Ciceronem Topic. : Abalienatio est traditio alteri. Et τῶ βασιλείων, tertius etiam casus subdi solet, ut Iliados 2. Est verò et Daniel. vers. 24, Arioch proprium. Sed possit etiam Arioch videri appellativum, Græcè Latinèque, ut alia nonnulla, ex Hebræo retentum, quasi arouch, id est, longum, extensum, ut in Latino textu sententia sit, in campo longo, seu spatiose regis Elymorum. Additur verò: Καὶ συνῆδον ἴσταν πολλὰ ἐσθῆρα εἰς παρὰ τῶν ἰσταν Κιλιθῶν, et verti potest aut, ut gentes multæ filiorum Cheloni in

aciem convenirent, ut supra, quæst. 9, dictum est, aut ut multæ gentes in aciem vel præcæm cœlerint contra filios Cheloni, pro quo legunt Complutensia Γαζ. An à Chale sive Καζῶ, de quâ Genes. 10, vers. 11, 12, an ab alio nomine proprio, nihil constituo.

#### QUÆSTIONCULA XI.

Quoto Nabuchodonosoris hujus anno bellam hægestam?

Belli hujus principium tam Latinus quàm Græcus textus in Assyrii Nabuchodonosoris annum confert duodecimum. Belli rursùm contra gentes alias suscepti principium, in annum qui victoriam, et belli hujus finem secutus est. Sed Græcus bello huius annos sex dat, ut casus fuerit Arphadax anno Nabuchodonosoris decimo septimo, bellum verò aliorum instructum anno decimo octavo. Latinus verò belli prorsus finem anno duodecimo et secuti belli primordia decimo tertio ascribit. Atque mihi certior calculus est, propter indicatam causam cap. ultimo Tobiarum quæst. 8. Licet verò ex istis de tempore quæstionibus intelligere admirabilem Dei in Tobia, Raguele, Gabehoque dirigendo et conservando providentiam. Cùm enim captivitas anno 21, vel circiter, id est, ante Marassæ initium, mitteret ille filium ad Gabelum, et Saram Echatanis uxorem iste duceret, nondùm inter hosce reges gratiam ruperat, bellumque cœnerat iniquitas et superbia. Non adeo multis annis post, exarsit bellum, capta et vastata Echatana sunt. Altâ igitur florenteque pace ut nuptias illi suas celebrarent, effecit Deus, itemque ut ante vastitatem Rhagis depositam pecuniam asportarent; Echatanis, diuidiâ cum soecorum opulentia, excederent; residuum interea in direptione mediâque vastitate protergeretur. Contra verò, quando bellica iniue tempestati finis fuit, cœperuntque paulatim Echatana reflouescere, Ninus verò ad interitum propius tendere, ecce jabetur hinc illis Tobias proficisci. Verò bonus et miserator Dominus, humilia respiciens in celo et in terrâ. Quarite ergo proximam regnum Dei et iustitiam ejus, et hæc omnia (de quibus tantoperè solliciti sunt mortales) adjicientur vobis, Matth. 6.

#### QUÆSTIONCULA XII.

Ex hisce regum istorum bellis, emolumentum ad nos quid?

Piurimum utique, si velimus, ex hisce bellis ad nos emolumentum redundabit, eorum vi-

delicet causam et originem, ipsum præterea exitum intueno. Illam quæst. 9 spectavimus. Gloriatur Arphadax quâsi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum. Unde, ait S. Jacobus cap. 4, bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Superbia et fastus, vanissimæ gloriæ, imperique fugacissimi cupiditas, et ambitio in Arphadax animo castra fixerant, hæc ad bellum eum exsuscitabant; gloriabatur et verbis, seipsam, suasque peditum equitumque copias circumspectans, sicut ille, scilicet Nabuchodonosor Daniels 4, vers. 27, sicut ille apud Tragedum alius:

Æqualis astris gradior, et cunctos super,  
Altum superbo vertice attingens polam  
Dimitto superos, summa votorum attingi  
.... O me cœlitum excelissimum  
Regumque regem! Vota transcendenti mea.

Sed quis exitus? Stulte, hæc nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parâsi, in quibus gloriaris, potentia exercitus tui, gloria quadrigarum tuarum, cujus erant? Ecce, ut quæst. 10 vidimus, captus iste tam potens, tam gloriosus, omnis ejus vis et robur elanguit, potentia concidit; subvertit Dominus rotas currum; ille, ille infelix, qui manè quasi potens gloriabatur, ante vesperum, jaculis confixus æternam tæet jacetque. Non salvatur rex per multam virtutem; et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ; fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non salvabitur, Psal. 52. Ergo qui confidunt in virtute suâ, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, Ps. 48; hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Ipsi obligati sunt et ceciderunt; nos autem sursum et erecti sumus, Psal. 19. Prudenter admodum apud Herodotum lib. 7 Xerxi Artabanus: «Vides, ait, ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus insolere sinit Deus, quæ verò parvula sunt, ne tantillam quidem vellicat? «Vides ut in maxima ædificia et arbores ejusmodi semper tela contorquet? Amat enim Deus incidere sive truncare, quæ eminent omnia; et causa subditur: «Neminem enim sinit magni quidpiam de seipso sentire præter seipsum, quia videlicet solus ipse magnus, solus magna faciens in celo et in terrâ. Ipse superbis resistit, 1 Pet. 5, et depouit potentes de sede.

Dominare, ait in Hercule Seneca, timidus, spiritus altos gere.

Sequitur superbos ultor à tergo Deus,

Idèque in Thyeste:

Vos quibus rector maris atque terræ,  
Jus dedit magnum necis atque vitæ,  
Ponite inflatos tumidosque vultus;  
Quidquid à vobis minor expanscit,  
Major hoc vobis Dominus minatur.  
Omne sub regno graviore regnum est.  
Quem dies vidit veniens superbum  
Hunc dies vidit fugiens jacentem.  
Nemo confidat nimium secundis.

Gloriantur sanè in exercitiis sui potentia, qui in divitiarum, possessionum famulorumque multitudine sese efferunt et ostentant. Gloriantur in quadrigarum suarum gloria, qui in corporis robore et pulchritudine, in mentis acumine et sapientiâ sese jactant et circumspiciunt. Mihi autem, ait Apost. Gal. 6, v. 14, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jezu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Neque verò Echatanorum et Ninii aspecta cum amplitudo et magnificentia, tum rudera et vastationes, q. 6, 8, 10, nullam nobis utilitatem afferent, si insistamus paulisper, et cogitemus quemadmodum sub celo firmum et stabile nihil sit, manufacta omnia dissolvantur nobilissima domicilia, urbesque amplissimæ et munissimæ pessum ante funditûs. O rerum vanitatem!

Mors etiam saxis nominibusque venit.

Talia sanè gentilis etiam ille apud Ciceronem lib. 4 Epist. cogitabat Sulpitius: «Ex Asia, inquit, rediens, cùm ab Egina Megaram versus navigarem, cepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Egina, ante Megara; dextra Piræus, sinistra Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cæpi egomet mecum sic cogitare: «Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. «Nos, inquam, homunculi, possessiones et domos in terrâ splendidas, opesque magnas concupisimus, congerimus, ædificamus, cùm tantarum, tamque celebratarum et verè magnarum urbium cadavera, locorum nescio ubi, jam sint. Cur quando terrestri domus nostra dissolvetur, ædificationem ex Deo non querimus, domum non manufactam æternam in calce? 2 Corinth. 5, vers. 1.

Posterior hujus capituli pars.

Belli prioris finis, alterius principium extitit, cujus hoc ipso loco causa tres indicantur. Prima vers. 7: *Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor*, id est, magno opere amplificatum, et insigni gloria cumulatum, unde et cor ejus elevatum est. Quæ Arphaxado exitio fuerat, ea jam Nabuchodonosorem elatio et superbia evadit. Felicitas, ait lib. 3 Historiæ Tacitus, in malo ingenio avaritiam, superbiam, cæteraque occulta mala patefacit. Vix possunt fatui mortales, *μὴσαν εὐδαιμονίας, magnam felicitatem concoquere*, ut aiebat Pindarus, et ut Troad. Seneca:

*Regi frævis nequit,  
Et ira, et ardens hostis, et victoria,  
Gladinsque felix cuius infecti semel  
Vecora libido est.*

Est verò in victoriis hoc miserrimum, quòd victiarum quandoque gentium non opes tantum et bona, sed vitia etiam et peccata, adeoque ea ipsa, ob quæ illarum à Deo vindices et flagella consituti sunt, ipsi ad se victores transferant. Elevatum erat Arphaxadi cor: ut eum Deus deprimeret, missus Nabuchodonosor est; ille depressus et infra mortuos omnes amandatus est: jam Nabuchodonosoris ipseus cor elevatur. Quid ergo tandem, nisi ut quam alteri penam intulit, eandem et ipse justissimam excipiat? Altera causa: Quærit ipse Nabuchodonosor contra gentes alias belli ansam et materiam. Mittit enim ad illas, vers. 8, nuntios, qui ab illis et iniqua et intolerabilia postulent, ut si annuant, magis efferatur, qui solo sui nominis terrore, unicæque denuntiatione tot sibi gentes subigat; si abnuant, inferendi eis belli, easque immensa copiarum suarum vi domandi, occasionem habeat. Enumerantur in Latino gentes istiusmodi ferè istæ: Cilices, Damasceni, Libani incolæ, Carmelitæ, Cedareni, Gallilæi, Esdrelonii, Samaritæ, Transjordanii, usque ad Hierosolymitas Jessæi, et alii populi, usque ad terminos Æthiopiæ. Habent fortè obscuritatis aliquid. Primò Cedareni, seu, qui in Cedar. Hanc verò docet S. Hieronymus in Ezechielis 27, esse Arabiam, in quâ Saraceni, qui progeniti ab secundo genito Ismaelis filio Cedar, de quo Genes. 25, v. 13. Is verò non à *κίβδη*, ut Græci quidem tradunt, sed à nigredine (cum Hebræicè *hadar* nigrescere valeat, Psal. 55, v. 14, Ps. 58, v. 7, Job. 5, v. 11, c. 6, v. 16, Joel 2 et 5, Michææ 5, v. 6, Jerem. 8, v. 21)

nomen accepit, in quâ et ob solis ardore ferè tineti sunt Cedareni, adeò ut quemadmodum Tobie c. 2, quæst. 5, dictum est, interdum idcirco Æthiopes vocentur. Hinc verò illa Psal. 119: *Habitavi cum habitantibus vel tabernaculis Cedar*. Cantie. 1: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Et Isaias cap. 21, cum de Arabiæ punitione ageret vers. 13, addit: *Auferetur omnis gloria Cedar, et reliquie numerari sagittariorum fortium de filiis Cedar immimentur*. Similia cap. 4, 42 et 60; Jerem. 2 et 49; Ezech. 27. *Inhabitantes verò Galaileam in campo magno Esdrelon*, ex Brocardo et Josepho cognosci possunt. Ait ille campi hujus longitudinem esse 10 milliarium, et latitudinem à mari occidentali ad Galaileam, quod et Tiberiadis stagnum dici solet. Josephus verò de eodem campo sepè, libro 14 Antiq. 17, lib. 45, cap. 11, lib. 18, cap. 5 et 7, lib. 20, cap. 5, in Vita etiam suâ dicit campi hujus magni decadarum; seu, ut lib. 4 Captiv. cap. 4, vocat, *decarchen abutim* fuisse. Meminit rursum lib. 2 Capt. cap. 17 et 21, lib. 5, cap. 4, sed lib. 4, cap. 27, uberius etiam describit, et sanè non paulò quàm Brocardus longiorem et latiore. Media inquit, regio, quæ inter duos montes est (eos paulò ante descriperat) vocatur magnus campus, à vico Gennabrim perveniens usque ad Asphaltitem lacum. Est verò ipsius quidem longitudo stadiorum 1200 (*σταδίων ἑκατὸν δώδεκα*), ideòque in Ruñianâ conversione non rectè, ducentorum et triginta stadiorum, latitudo 120. A Jordane mediis intersecatur, et stagna habet Asphaltiticum et Tiberiadense, quæ naturæ omninò contrariæ sunt. Illud enim salsum et infœcundum, hoc verò dulce et fœcundum est. Ætatis verò tempore campus hic incenditur et quodammodò ignescit, ideòque propter fervorem æstis nimium aerem habet morbosum. Totus enim aquis caret, nisi ubi Jordane interluit, ideòque et in hujus ripis accidit, ut sint palmæ pulchriores et feraciores, minùs verò pulchræ et feracæ, quæ absunt longius. Dietum porrò putat in Jos. c. 19, Masius, *Esdrelon* per litterarum transpositionem à vicinâ urbe Jezreel. Sed 4 Reg. 25, v. 29, 2. Par. 35, v. 22, vocatur *Mageddo* ab Herodoto 1. 2, *Μαγδόδος*, eam eandem de Josuæ clade historiam attingens, ait: *Ἐπέκειντο δὲ Νεβούσ συμπαροῦσαν ἐν Μαγδόδος ἕνεκα, τερρεστὶ ἀγέε cum Syris congressus in Magdolo Necos* (in Scripturâ nostrâ Necho rex Ægypti)

victoriâ potius est. Tertio, Jessæi non vocantur, qui è Davidis stirpe, cujus pater Isai, seu, ut in Septuaginta legitur, *Isaai*. Ruth cap. ult., sed qui, ut habet hoc loco noster textus, *terram Jesse* incolabant, id est, ii Arabes, qui australiorem et occidentaliorem Arabiæ partem, quæ ad Ægyptum propriè dictam vergit, quæ à nostro interprete Genes. 46, v. 54, cap. 47, vers. 4 et 27, cap. 50, vers. 8, Exodi 8, v. 26, Gessen vertitur, in Hebræo Gosen dicitur, à 70, *Γοσίν*. Et eadem hoc loco vox in Græco est, et conjungitur, ut post magis videbitur, cum Ægypti fluvio, Ægyptiisque urbibus Thaphnæ ac Ramesse, et dum Ægypti nomen latius panditur, Ægypti pars, in Gensin, locis citatis, statuitur. Alioquin Arabiæ pars erat, ut ipsi 70 crebrò monuerunt. Sic enim Gen. 48, *ἢ κακοῦθεν ἐν τῇ Γοσίν Ἀραβίας, ut habitetis in terrâ Gesem Arabiæ*, idemque eodem cap. 47, v. 28 et 29, periphrasi quâdam appellanti, ut ferè Hebræus et noster, cap. 47, vers. 11, *terram Ramesse, juxta Heroum urbem*, de quâ dictum Exodi cap. 14. Fuit in montosis etiam Judææ locis urbs Gosen, Jos. 10, 41, cap. 15, 51. Esset de hisce gentibus jam satis, nisi moendum videretur, in Græco eas, ut supra dictum, proponi, quasi, ante Arphaxadam victoriam, ad auxilium ferendum invitatæ à Nabuchodonosore fuissent; deinde multò earum longiorem catalogum institui. *Misit rex Assyriorum Nabuchodonosor, ad omnes, qui Persidem incolabant, omnesque habitantes versus Occidentem, ad habitatores Ciliciæ, Damasci, Libani et Antilibani, atque ad omnes qui maritimam oram insidebant, ad eos præterea qui sunt in populis Carmeli et Galaad, et ad superiores Galaileam, et magnum campum Esdrelone; item omnes habitantes in Samariâ, ejusque urbibus trans Jordanem Hierosolymam usque et Bethanen* (nam *βεθάν*, legitur in Complutensibus et Septuaginta, quasi sit Bethana Josuæ 19, 58, legunt tamen quidam *βεθάν*), et Chellex, et Cales, usque ad fluvium Ægypti, ad Tephnem, et Ramessem, omnemque terram Gesem incolentes, ad eos usque qui supra Tanim Memphisque sunt, ad omnes denique incolas Ægypti usque ad fines Æthiopiæ pertinentes. Hoc ultimum idem Græcus vers. 12 exprimit per, usque ad terminos duorum marium, id est, ad eas usque terras quæ duo maria contingunt et quas finiunt, et intelligi possunt maria Æthiopicum et Arabicum potius sanè quàm Arabicum et Mediterraneum, vel hoc et Mortuum, de quo D. Hieronymus Joels 2. Alioquin et Plinius

lib. 6, cap. 28, «Arabia, inquit, est inter duo maria, Rubrum et Persicum.» Quid verò populi isti Nabuchodonosori responderint, ostendit versus 14, ubi quod noster ait, *uno animo*, Græci elegerunt *ὁμοθυμαδον*; vel *ὁμοθυμαδον*, quasi vir æqualis, vel unus, ita ut aliud li dicant, qui vertunt, *quasi virum unum despiciunt*. Persas tamen ejus auctoritatem et signa secutos, declarat versus 12, cap. 16, et causa, de quâ in quasiunculâ de Holoferne cap. 2. Cum verò 4 Reg. 17, et lib. 2 Esd. 4, Samaria colonis ab Assyrio rege missis completeret, videntur hoc tempore, aliqua, ut fieri solet, occasione, istum qui Assyrium nunc diadema obtinebat, non magni fecisse, ab eoque deiecit, ut mirandum sit ob istum, similesque locos, hunc apud Lyronem, à quibusdam apocryphum librum olim habitum. Quot enim causa quotidie occurrunt, cur in populo aliquo factiones, seditiones, defectiones orientur! Ideòque ne Wittakerus quidem, qui omnia unquam contra id genus libros corradit, diffidentem istam objicere ausus est. Tertia porrò causa, v. 12, est: *Tunc indignatus Nabuchodonosor ad omnem terram illam, juravit, per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his, id est, vindictam de omnibus sumeret, quod per idcirco Græcus effert. Regum verò est hoc vetus jururandum, per thronum, regnum, acceptum, et quidem maximum, ut ait Homerus Iliad. 4, Herodotus lib. 4. Et vide quibus gradibus in summum ascendat hominum nequitia. Superbit, intumescit, alios despici, injuriâ occasione quærit. *Elatoris enim lascivie filia, injuria est*, inquit libro 5 de Legib. Plato; et quasi bonum jam factum ille faceret, jurisjurandi religionem adhibet, quemadmodum Herodes, Matth. 14, v. 17. At malè id genus jururanda concipiuntur, pejús observantur. Lege D. Augustinum serm. de Deoatione S. Joannis Baptiste. Antequàm verò ad alterum caput aggrediamur, sciendum à textu Græco notari, quid prostrato Arphaxado statim egerit Nabuchodonosor. *Reverus*, ait, ipse cum ipsis suis copiis Niniven, et omnis qui ad eum sese aggregarant exercitus, virorum bellatorum multitudine ingens admodum, et erat illic otiatis, epulisque vacans tam ipse quàm ejus exercitus ad dies centum et viginti. Quia verò Latinum editionis Romanæ textum præpono literularum quidem unam versu secundo mutare volui, etsi verborum transpositio videtur.*